

Petrus de Vinea

*Ep. IV 3 (Cum, post
sedatos undique turbines...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 3 (Cum, post
sedatos undique turbines...)*

dicembre 1253

Cuidam nobili, de morte soceri sui.

1. Cum, post sedatos undique turbines, quos dudum in regno nostro Syciliae calumpniosa temporis procella concreuerat, nostris nuper faueret affectibus fortunae placiditas, et nostrorum processuum latera circuiret, subito rumor infestus et nubilus claustra nostrae iucunditatis infregit, illas nobis insipidas amaritudinis propositiones interserens, quod... dux Bauariae, carissimus socer noster, Superioris Ducis ductus imperio, in patriam, quae iter est omnibus, generali mortalium necessitate uocatus, humanitatis commune debitum, quod exceptio quaeuis allegata non prouocat, ex ineuitabili lege fatalitatis exoluit. 2. Ex quo tanto nos pungit ictus doloris acerbius, quanto per eius absentiam, qui genitoris in nobis officium compensabat, et uelut nostri pars magna consilii erga nos charitatis paternae non impares dabat affectus, multa nobis decisae carnis et grandia incommoda reserata sentimus. 3. Verum quia sic irreparabiliter cadere hominis est natura non pena, et morbus iste non est medicabilis herbis, sed Illius est excelsi dexterae mutatio, qui caput excelsum et humile necessariae amplexibus equalitatis inuoluit, multa nobis et tibi sunt exinde solaminis assumenda consilia, ut et nos decedentis patris occasum superstitibus consolemur in filiis, in quibus nobis affinitatis solidae pignora remanserunt, et tu, quantumcumque tibi tam turbidus casus ingesserit, in nobis reparari sentias detrimenta, qui, tam ex carnis unione qua iungimur, quam ex dilectionis etiam uinculo, quo unimur, tua et tuorum negotia non minus libenter quam propria continuis semper profectibus disponimus promouere. 4. Propter quod dilectionem tuam inducimus et hortamur

attente, quatenus non expectato solandi remedia laxitudo tibi meroris indulgeat, sed animum redolens uiri fortis assumas, omnem causam lugubrii dolorisque reliquias, quas forte tibi muliebris mollities reliquit ad lacrimas, uerborum lenimentis abicias, et in gratiosa spe nostrae proximitatis abstergas: ad haec, quicquid... de... tibi de honore et seruitiis nostris uerbotenus ex parte nostra retulerit, indubitabiliter prosequaris.